

Ant. Rom.

456 m

Handwritten signature or scribble at the bottom center of the page.

DE. TRIBVNALI. ROMANORVM
BREVITER. TRACTAT

ET. VNA

CELSISSIMVM. COMITEM. AC. DOMINVM
DOMINVM

HENRICVM. PRIMVM

IVNIORIS. STEMMATIS. RVTHENVM

C. A. D. D. P. D. G. C. G. S. E. L. C. A. D. S. C.

ET. QVOSCVNQVE. EIVS. VRBS. COMPLECTITVR

GENEROSOS. SVMME. VENERABILES. CONSVLTISSIMOS

NOBILISSIMOS. PLVRIMVM. REVERENDOS. PRVDENTISS. VIROS

MVSARVM

CVRATORES. MAECENATES. FAVTORES. PATRONOS

HONORATISSIMOS

AD. AVDIENDAS. *QVATVOR. DICENDI. GENERVM*

ORATIVNCVLAS

XI. CAL. FEBR. POST. HORAM. I. POM. HABENDAS

SVBMISSSE. OBSERVANTER. OFFICIOSE

INVITAT

IO. CHRIST. HAYNISCH. R.

EX. OFFICINA. WEICHBERGERIANA



* * *

Aliquoties, quae ad antiquitates Romanas pertinent, singularia explicare & illustrare sum conatus; quae opera summis quibusdam viris adeo placuit, ut me sint cohortati ad alia eiusdem generis studiose expendenda. Quorum admonitiones ut leges promulgatas venerans, constitui, quoties scholasticas invitationes scribendi occasionem, eamque idoneam, nactus fuero, venerabilis antiquitatis Romanae particulam utiliore exponere & dilucidare. Illos enim nihil moror, qui rerum pulcherrimarum ignari, & vix ultra angustum patriarum consuetudinum hodiernarum limitem sapientes, dulcis antiquitatis thesaurum contemnunt, & minus reputant, plurima nostrorum civilium & politicorum, quae bona sunt, ex priscis Romanorum ritibus profluxisse; & insuper alia salutaria, ex iisdem desumpta, consuetudinibus nostris nonnullis utiliter & sapienter substitui posse. Postquam autem de *rabulis & leguleiis*, de *clepsydris fori Romani* *, de *lege sumtuaria* breuiter commentatus sum; & nunc actus oratorius indicendus est, ubi de tribunali sententia pronuntiatur: placet iam hanc paginam expositione *tribunalis* ** *Romanorum* complere, cuius saepissime in scriptoribus Romanis fit mentio. Ea vero lubens praeteruehar, quae in vulgaribus antiquitatum Romanarum compendiis & Latinae linguae thesauris de eo circumferuntur; ne cramben bis coctam apponam, nec mutila tradam.

* Quod programma insertum Lips. quibusdam summaris Germanicis (Auszuegen) 1738. p. m. 187. ubi monuit Auctor doctiss. I.) Kuehnius ad Poll. L. VIII. segm. 113. verba Cic. de Or. L. III. c. 34. atque hunc non declamator aliquis ad clepsydram latrare docuerat, aequius interpretari de clepsydris declamatoriis: sed respondeo ea de clepsydris fori accipi simul posse. Quae enim priuatim fiebant intra declamatoris parietes, instituebantur ut deinceps in foro vsui essent: & ut sic adolescens, ad clepsydras dicens, praepararetur, ad easdem in foro verba facere: 2) Vitrum Romae iam ante Neronem fuisse: sed non video, quomodo verba Plinii citata infringi possint.

** Neminem inueni qui vberius de illo scripserit. Memoratur in B. I. quidem D. Martam scripsisse *de tribunalibus vrbis & eorum praeventionibus* Romae 4. 1589: sed librum nec vidi, nec scio, vtrum antiquum illud, ut ego, an nouum temporis sui tribunal persequatur.

§. I.

Vocem tribunalis deriuat PEROTTVS a tribubus, scribens: a tribubus tribunal, locus excelsus, in quo, qui ius tribubus redderet, considebat. Sed haec deriuatio non videtur esse proxima; quod tres litterae integrae duabus prioribus syllabis sunt addendae. Rectius deducitur ista vox a tribuno, tribubus praeposito, qualem Romulus unicuique trium tribuum praefecerat, teste DIONYSIO HALICARNASSEO**; quo nomine etiam vnusquisque primis Romae temporibus superior denotabatur. Quod recte vidit LIPSIVS, scribens de magistratibus Romanis***: vt cunque de etymo sit, & late fusum nomen: & vis ei fere subest, vt curatorem fere significet, aut praefectum. Hinc postea orti tribuni Celerum, tribuni militum, tribuni aerarii, tribuni plebis & insequentibus temporibus alii. Est itaque generatim tribunal locus eius, qui aliis praest, vt superior; quemadmodum lupercal est lupercorum locus. Speciatim vero deinceps haec vox vsurpata est de loco eius, qui in iure praesedit.*

* In cornu copiae. p. 549.

** *Antiq. Rom.* L. I. c. 18.

*** *Cap. 14. in epit.*

§. II.

Inueniuntur etiam aliae eius appellationes: vt cum dicitur ius, dum in ius vocare idem est, ac vocare ad tribunal. Dicitur etiam locus superior, plano oppositus**: alta sedes quaesitoris sedentis***: sedes conspicua****: suggestus: βήμα in Graecis de Rom. rep. scriptoribus.*

* *Digest. L. 11. Tit. 4. lege 4. Lib. 1. Tit. 1. leg. 11.*

** *Cicero epist. I. III. ep. 8. n. 3.*

*** *Seneca in Hercule furente. v. 731.*

**** *Tacitus Annalium l. I. c. 18. 2.*

§. III.

Differebat a plano loco, in quo etiam interdum cognoscebatur, quod HEINECCIUS docet: differebat etiam a carpento iudiciali, cuius meminit FLAVIVS VOPISCVS, scribens**: *vehiculo suo me & iudiciali carpento praefectus vrbis, vir illustris ac praesa-**

praefata reuerentia neminandus; Iunius Tiberianus accepit.

* *Antiq. R. Jurispr. illustr. L. IV, Tit. 6. §. 8.*

** *in Aureliano cap. I.*

§. IV.

Inuentor tribunalis apud Romanos fuit Romulus, de quo memoriae prodit DIONYSIVS HALICARNASSEVS: Cum homines maxime timore a maleficiis deterreri posse cerneret: multa in eum usum parauit, tribunal ad ius dicendum in loco fori conspicuo, satellitii CCC militum terribilem faciem... Quod deinceps posterius magistratus Romani imitati sunt.*

* *Antiquit. L. II. 30.*

§. V.

Erat vero tribunal suggestus editus, in quo sedens magistratus** commode a circumfusa populi multitudine videri & audiri poterat. A qua definitione non multum discedit illa ISIDORI, quam BRISSONIVS profert, scribentis***: illud esse locum sublimem & editum, in quo confidentes magistratus ius dicant.*

* Confer ea, quae *Minio* dixit apud *Liuium*: Siculi praetorem, excelso in suggestu superba iura reddentem, stipatum licitoribus, vident. *Sigomius* de iure ant. Lib. II. c. 5.

** *Munia* sua obiens. *** de verborum significatione lib. 18.

§. VI.

Romanorum scriptorum monumenta euoluentes reperimus, tribunal fuisse vel ciuile, quod Romae & in prouinciis extructum, nec non in municipiis; quanquam horum, ambitione multa conantium & Romam imitantium, tribunalia abusiue ita dici contendat HEINECCIUS: vel militare, quod & imperatorium dictum**; vel denique memoriale, quod vero improprie ita vocatum; quoniam nullus ibi viuis adhuc magistratus sedebat. Quale fuit illud, cuius inscriptionem GRVTERVS habet p. MLXXIV. 10.*

A 3

NVMI-

NVMINI. AVGVSTOR.
DEO. VOLIANO.

M. GEMEL. SECVNDVS. ET. C. SEDAT. FLORVS. ACTOR. VICANOR.
PORTENS. TRIBVNAL. CVM. LOCIS. EX. STIPE. CONLATA.
POSVERVNT.

Vbi loca sunt sedes, vel contra vel circa tribunal. Et pag.
DCCLI. II.

P. AELIVS VENERIANVS.
HOC VAS. DISOMVM. SIBI. ET.
FELICITATI. SVAE. POSVIT. ET.
TRIBVNAL. EX. PERMISSV. PONTIF.
PERFECIT.

Extat & alia p. CLXXI. I. Huc spectat & ille locus TACITI***, ubi GERMANICI sepulcrum Antiochiae tribunal Epidaphnae fuisse a quibusdam dicitur.

* Lib. IV. Tit. 6. §. 7.

** Dionys. Hal. L. VIII. 46.

*** Ann. II. 83.

§. VII.

Locus civilis tribunalis fuit Romae, antiquissimis temporibus, forum & quidem comitium eius, quod discimus ex DIONYSIO HALICARNASSEO: consules iusserunt, ut omnes mane in forum conuenirent, cum amicis & clientibus, quam quisque posset plurimis: pars circa tribunal & in comitio consistenterent; alii cateruatim diuersa fori loca occuparent. Testatur id & DIO CASSIVS**: tribunal quoque, cum ante in medio foro constitisset, in eum locum, quo nunc est, translatum fuit. Licet vero aestiuo tempore & caelo sereno in comitio fuerit eius locus: tamen hieme & caeli intemperie fuit, principum aeuo, positum, in basilica, plerumque Iulia, quae posteriori tempore quatuor a tribunalibus instructa; quod*

quod PLINIUS *** tradit & QUINTILIANVS ****. A. V. C. DXXV. ad publicam piscinam fuit tribunal, teste LIVIO l. XXIII. 32. Locus tribunalis *militaris* fuit in bello aut area media castrorum, aut alius commodus in excelso locus, quod ex PRUDENTIO colligitur*****: aut denique ipsum praetorium; quod quidem HOESCHELIVS docet, ***** HYGINI verba citans, qui scripsit: *Auguratorium parte dextra praetorii, tribunal laeva, vt accepto augurio insuper ascendat.* Locus memorialis tribunalis, aut hortus, aut publica via, aut forum: si ille, cuius honori dedicabatur, vir reipublicae grauis fuisset.

* L. X. 46.

** L. XLIII. p. 238.

*** L. I. ep. 18. 3.

**** *Inst. Orat.* L. XII. 5. Cum in basilica Iulia diceret primo tribunali, quatuor autem iudicia, vt moris est, cogherentur, atque omnia clamoribus fremerent: & auditum eum & intellectum, & quod agentibus ceteris contumeliosum fuit, laudatum quoque ex IV. tribunalibus memini.

***** Qui canit in *Psychomachia*:

Extruitur media castrorum sede tribunal

Editiore loco, tumulus quem vertice acuto

Excitat in speculam, subiecta vnde omnia late

Liber in offenso circumspicit aëre visus.

***** in *Polybii* militia Rom. p. 178.

§. IIX.

Materia tribunalium non vna eademque fuit. *Ciuile* procul dubio ligneum fuit: quia & moueri loco, & alio transferri, cremarique cum subselliis potuit, quæ omnia egregie POLLETVS* demonstravit, & idoneis antiquitatis suffragiis probauit; quia in numis expressum tribunal clauorum prominentia habet capita: & quod subito continuatis tribunalibus fieri pons potuit, quod ex CICERONIS oratione in Vatinium c. 9. percipimus. Quæ omnia non nisi de ligneo, eoque intestino opere, dici possunt. Ambigo tamen de illo *tribunali Aurelii Cottæ*, quod, quia gradus habuit, vt opus nouum commemoratur, & sæpissime apud Ciceronem occurrit, fixum & hinc non ligneum, sed lapideum fuisse videtur**. Vt principum tempore in basilica omnia splendida: ita &

& tribunal procul dubio ibi lapideum fuit. Ex cespite fiebat in castris & tumultuariis rebus; quales illae apud TACITVM***: simul congerunt cespites, extruunt tribunal, quo magis conspicua sedes foret. PLINIUS etiam cespititii tribunalis mentionem facit****: Decora facies consulis: multa post saecula tribunal viridi cespite extructum, nec fascium tantum, sed pilorum signorumque honore circumdatum. Nec minus FLAVIUS VOPISCVS*****: Deinde concursus & cespititium tribunal. Memoriale fuit semper lapideum: quod in sempiternam memoriam superesse debuit. Hinc illae inscriptiones tribunalium memorialium plerumque aut marmoris, aut alii firmo lapidi, incisae deprehenduntur.

* in Historia fori Rom. p. 40. & 41.

** vid. Cic. or. ad Quir. post. red. c. V. cum annot. Cell.


*** Annalium I. 18. 2.

**** Paneg. c. 56. 5.

***** in Probo c. 10.


§. IX.

Tribunali tribuunt plerique *formam* hemicycli; ita, vt introrsus curuatum fuerit; quae POLLETI, HEINECCII, STVEBELII, in thesauro Fabri, & aliorum sententia est. Prouocant ad VITRUVIVM, qui * narrat, Fanestri, quae colonia Umbriae, ductu suo aedificatam fuisse basilicam, cuius tribunal hemicycli schematis fuerit. Verbis utitur: *Tribunal in ea aede hemicycli schematis, minore curuatura formatum. Eius autem hemicycli in fronte interuallum est pedum XLVI, introrsus curuatura pedum XV, uti eos, qui apud magistratus starent, negotiantes in basilica ne impedirent.* Eius itaque est haec delineatio:




Sed non sequitur, vt, si VITRUVIUS Fanestri extruxit tribunal sche-

schematis hemicycli, alia omnia eadem ratione fuerint constru-
cta. Quin VITRUVIVS ipse haut obscure innuit, alia non eo-
dem modo fuisse fabricata, dum addit, se *ingens spacium tribuna-
li dedisse, ne eos, qui apud magistratus starent, negotiantes in basi-
lica impedirent, & sic manifeste declarat: non ab omni strepitu
& impedimento alia tribunalia fuisse libera. Si numos inspiciamus
antiquos Romanos: deprehendimus ibi saepenumero tribunal *re-
ctis lineis inclusum, & quidem oblongum: ita vt duo extrema inter
latera longiora sint cornua; quorum fit saepe in scriptoribus men-
tio. Praeter alios TACITVS** scribit de Tiberio: *Indiciis ad-
sidebat, in cornu tribunalis, ne praetorem curuli depelleret. In nu-
mis TRAIANI, ANTONINI, AVRELI, COMMODI, HELIO-
GABALI, ALEXANDRI SEVERI tribunal habet formam, quam
hic subiectam vides:***



cuius frons
secundum o-
pticae regulas
haec est:



vt * sit locus sella curulis, † & † vtrinq̄ue *cornua* indicent.

* L. V. c. I. de architectura.

** Annal. L. I. 75. I.

§. X.

*Capacitatem eius, siue planitiem superiorem, non vnam eam-
dem fuisse, nos docent scriptorum Romanorum narrationes. Mi-
nor certe illa fuit, de qua TACITVS commemorat, scribens, *sedisse
Tiberium in cornu tribunalis, ne praetorem curuli depelleret. Et
tribunalia, in numis expressa, pleraque non nisi vnam personam,
in medio in sella curuli sedentem, & aut in alterutro cornu, aut
in vnoquoque, vnam exhibent, vel sedentem, vel stantem*. Maior
vero interdum eius fuit capacitas, quod arguit ille locus LIVII**:
consules redeunt in tribunal, citari nominatim vnum ex iis, qui in
conspectu erant, dedita opera, iubent - Tum vero indignum facinus
esse clamitantes, qui patrum consulibus aderant, deuolant de tribu-**

B

nali

nali, vt liçtori auxilio essent. Ex quo patet, praeter duo consules aliquot senatores in tribunali aut sedisse, aut stetisse. Quin lecticam Augusti interdum capere tribunal potuit; vt narrat SVE-TONIVS; quod satis superque euincit, interdum positum fuisse tribunal in foro maius.

* Confer T A C. I. 39. [vbi Germanicus Plancum recipit in tribunal: & Val. Max. Libr. III. c. 7. n. 6. vbi Q. Crassus Carboni in tribu-nali legationis in Gall. sedem assignauit.

** Libro II. c. 29.


§. XI.

Altitudinem quodammodo colligas ex verbis TACITI*: Extruunt tribunal - Aggerebatur nihilominus cespes, iamque pectori vsque adcreuerat, cum tandem peruicacia victi incoeptum omisere. Ex quo concludimus, illud fere altitudine hominem aequasse: quod & illustratur numis, vbi eadem est hominum adstantium, quae tribunalis erecti altitudo.

* Annal. L. I. c. XVIII. & XIX.

§. XII.

Necessario requirebantur ad tribunal sella curulis*, cuius formam numi habent, aut bisellium**,



Scala, vel gradus***, quibus ascendebant magistratus trabea & praetexta insignes: tessellata & sectilia pauimenta, quibus inprimis principes sternebant tribunal, quod in numis itidem cernitur; qualia pauimenta & Caesar, ad praetorium ornandum, secum circumtulisse dicitur****: aliae sellae, a liçtoribus apportandae, si quem reciperet praetor in tribunal: iudices a tergo praetoris sedentes, hasta posita, clepsydra, tabularium, actorum forensium commentarios seruans: ministri varii, de quibus LIVIVS*****: Macedonibus assuetis regio imperio tamen nouum formam terribilem

lem praebuit tribunal, summotor aditus, praeco, accensus, insuet a omnia oculis auribusque.

* Quae differobat a *castrensi*, quod vide in SVETONII Galba. c. 18.

** De quo CHIMENTELLI peculiaris extat.

*** Vnde illud *Aurelii* tribunal per tropum nomen graduum gerit. CIC. pro Clu. 34. Deriuatur hinc graeca vox a βαίω vel βάω, vado, scando.

**** HOESCHELIVS 1. c.

***** Libro XLV. 29.

§. XIII.

Vsus tribunalis, pro ratione eius, fuit varius. *Consules* in illo sedentes militem conscribebant, publica in crimina inquirebant*, aut alia munia *ciuilia* obibant, quod ex supra scriptis quodammodo patet. *Praetor* illud complens cognoscebat, lites forenses & publicas & priuatas dirimebat, actores & reos admittebat, testes & patronos reorum audiebat, & tandem, iudicibus rite adhibitis, sententiam pronuntiabat. Hinc CICE RO dixit**: *Praetor palam de sella ac tribunali pronuntiat, si quis absentem Stbenium rei capitalis reum facere vellet, sese eius nomen recepturum.* Quae omnia pluribus explanat BRISSONIVS de *formulis* L. V. In *prouinciis* *proconsules*, *praesides* & *procuratores* eadem ratione tribunal*** occupabant. *Aediles* etiam ex illo ius dixerunt, quod tradit SVETONIVS****: *C. Albutius Silus, Nouariensis, quum aedilitate in patria fungeretur, cum forte ius diceret, ab iis, contra quos pronuntiabat, pedibus e tribunali detractus est; cui Albutio tamen abusive tribui videtur tribunal, si ea conferas, quae iam in §. VII. scripta sunt.* Tribunali nimirum distinguebantur hi *maiores magistratus a minoribus*, quod testatur ASCONIVS PEDIANVS*: *Sunt subsellia tribunorum, triumuirorum, quaestorum & huiusmodi [minora iudicia] exercentium, qui non in sellis curulibus, nec tribunalibus, sed in subselliis considebant.* Postea principes saepe in illo sedentes liberalitate in populum utebantur. In bello *usus* eius ad orationes habendas. TACITVS scribit de militibus *Vari* victis**: *Referebant, quo tribunali concionatus Arminius.* Et alibi***: *Tribunal circumueniunt.*

Stabat Drusus manu silentium poscens --- Tandem litteras patris recitat. Hinc saepe in numis tribunal, addita voce: ALLOCVTIO. Memorialis idem erat vsus, qui monumenti sepulchralis: quin prorsus fere cum illo conueniebat. Collocatum fuit tantum iis, qui magistratum gesserant; amicis, consanguineis & alijs fidelibus extremum hunc honorem praestantibus.

* Tacit. l. XVI. c. 30. n. 2.

** In Verr. l. II. c. 38.

*** A quo tamen valuit prouocatio ad tribunal principis A&. XXV. 10.

*** De clar. orator. c. 6.

* In Diuinat. in Verr.

** Annal. L. I. c. LXI. 6.

*** Annal. L. I. c. XXV. n. 1. 2.

§. XIV.

Vtilitas, quae ex contemplatione tribunalis Romanorum accurata prouenit, non nisi magna esse potest. Multae veterum *phrases* ex illa intelliguntur, & statim innotescit, quid sit, *in tribunal ascendere, tribunali desilire, tribunal complere, in tribunali sedere, tribunali praeesse, tribunal assistere, adire, pro tribunali cognoscere, audire, respondere, iura reddere, manumittere, recitare* & plura alia, *sacris litteris, historicis & digestis iuris ciuiliis Romani* passim inspersa. Facile etiam cognoscimus, vnde quaedam hodie in iudicijs nonnullis vsitata originem duxerint; quae vnusquisque facili negotio indagauerit, si hodierna cum prisca attente contulerit. Licet enim non in omnibus iudicijs, hodie publice adhuc cognoscatur: tamen illa publica cognitio adhuc in quibusdam vsitata est; vbi praeses publice praest, iudices ad latus sedent. Vt TRAIANVS dedit Parthis ex tribunali regem: sic etiam hodie AVGVSTI *de solio Germanis & Italis* dant principes, in quos prouincias beneficiarias, quae nouo vocabulo feuda vocantur, conferunt. Sed cur haec profero, quae vnusquisque facile ductu suo inuenerit? Mitto iam haec & ad aliud me accingo, quod inprimis hac pagina significare animus est.

* Confer A&. XXV. 6. 10. XVIII. 12. 16. 17. Rom. XIV. 10. 2. Cor. V. 10.

A 2

§. XV.

§. XV.

Actum forensem in lyceo nostro publicum de ambitu, exercitationis gratia, sum instituturus, cuius lineamenta video in PLINIO, qui L. XXXV. c. 12. narrat: Quintum Coponium inuenimus ambitus damnatum, quia vini amphoram dedisset dono, ei, cuius suffragii latio erat. Quod crimen, quia erat publicum, coram senatu in illud, in iudicio publico, inquirebatur. Scio equidem, peculiarem fuisse praetorem de ambitu constitutum: sed non semper ille cognouit in grauiore ambitus crimine; quemadmodum & ille non semper cognouit, qui de repetundis, vel peculatu alias, in leuioribus caussis, cognoscebat. Quod PLINIUS ** expresse testatur, narrans, Africae proconsulem Marium, repetundarum reum, a senatu damnatum esse. Cum vero nimis longum requireretur temporis spacium, si primam etiam actionem vellemus instituire; & anno MDCCXXXVII. iam actionem de ciuitate Romana ita instituerimus, vt audiri & spectari omnia potuerint, quae pertinent ad reum citandum, ad calumniae iuramentum, ad testes examinandos & alia complura: iam solum comperendinationem, siue actionem secundam, producimus. Facimus itaque, quasi iam antecessissent vocatio in ius, postulatio, nominis delatio, citatus accusator & reus, iudicium delectio, primae actionis quaestiones, testes, tabulae, accusatio, defensio & laudatio; quae omnia egregie explicarunt optime de antiquo iure meriti, BRISSONIVS*** & SIGONIVS****. In hac comperendinatione vero citantur denuo accusator & reus: istius tamen patronus prior dicit, ille posterior, quod CICERO* docet: Si enim numerum dicendi consideres, in aequo res est: si ordinem, accusator est prior & ultimus. Nam simul atque accusator dixerit, respondet prima actione defensor, & defensionem, tanquam duplicem in medio positam, obruit ultimus accusator. Quo facto praeco clamat suum DIXERVNT, & consul, illius mensis prior, rogat sententias senatores principes, a consule futuri anni designato incipiens. Dicunt hi sententiam, in quarum priorem itur, & nulla ampliatione intercedente, pronuntiatur sententia, quae Coponio aqua & igni Romae interdixit, in exilium mittens. Quibus consulibus id factum sit, non liquet: probabile tamen est, id ante principes, belli ciuilis temporibus,*

euenisse. Meminit CAESAR Q. Coponii, hostis sui **. For-
tasse ille *Caesare Cos. in exilium eiectus est.* Commemorat
etiam VELLEIVS *** *Coponium quendam*****, qui vero, vix est,
de quo PLINIUS scribit. Multo minus ille hic respicitur, cuius
nomen in inscriptione quadam GRVTERI*.

* Onuphrius Panuinius de republica Romana L. II. p. 276.

** Lib. II. ep. II. n. II. 18. 19.

*** De Formulis L. V. CLXXXV. & seqq.

**** De iudiciis L. II. c. VIII. & seqq.

* In Verrem.

** Bell. Ciu. L. III. c. 26.

*** L. II. c. 83.

**** P. CCXL. vbi praeter ceteros legitur Q. Coponius AO -- IVS;
qui vero *Vespasianorum* aevo vixit, *Plinio* aequalis: cum tamen
Plinius haut obscure innuat, patrum memoria *Coponium* ambitus
esse damnatum.

Prologus exponet iudiciorum publicorum rationem: deinde
vt consul praesidebit & consueta faciet. Quo facto defende-
tur *reus* a *patrono*: post cuius *orationem* extremo accusat *accusa-*
tor. Qua oratione finita sententia feretur: postquam in illam
itum est a senatoribus. Declamantes latine dicent, nimirum:

CHRISTIANVS HENRICVS REINHARDT,
Schleiz.

IOANNES PAVLVS HADLICH,
Thierbacens.

IOANNES CHRISTOPH. MACHER,
Muehltruff.

Et sic quidem specimen *iudicialis generis* orationum dabimus. Vt
fimul *reliqua dicendi genera*, priscis vsitata, attingamus: loquen-
tem introducemus ex historia, vt vocant, *medii aeui VORTI-*
GE-

GERVM, *regem Britannorum*, qui in *Scotos* crudeles inuehitur & amicos suos consulit, quid sit in rebus istis desperatis & afflictis audendum? Quorum *primus* dissuadet *Saxonum Anglorum* aduocandorum auxilium: *alter* laudat *eosdem*: *extremus* suadet eorum implorandorum auxilium. Sic quidem genus dicendi *demonstratiuum* & *deliberatiuum*, vt appellant rhetores, alternis vicibus adiungentur. *Prologus* historiam illius temporis breuiter narrabit: vt deinde oratiunculae melius intelligantur. *Epilogum* addens de *Saxonum Anglorum felicitate* in Britannia perorabit. Vt itaque fietiam specimen *generis*, vt vocat, *didascalici* adiiciatur. Vernaculo sermone adolescentes vnico excepto vtentur, qui sunt

IOANNES CHRISTIANVS MVELLER,
Schleiz.

IOANNES FRIDERICVS WEIS,
Schleiz.

IOANNES HENRICVS IAHN
Oppurg.

CHRISTOPH. EHRENFRIED de BRANDENSTEIN,
Eques Saxo

HENRICVS WILHELMVS SCHVLZ,
Strasberg.

HENRICVS NOAH MVELLER,
Knauensis.

Vt vero diiudicetur, vtrum bene an male adolescentes dixerint, inuitamus ad declamationes has audiendas CELSISSIMVM COMITEM AC DOMINVM HENRICVM PRIMVM, IVNIORIS STEMMATIS RVTHENVM, PATRIAE PATREM INDVLGENTISSIMVM, generosos AVLAE & viciniae PROCERES & EQVITES, summe venerabiles lycei CVRATORES, consultissimos longe nobilissimosque DYNASTAE CELSISSIMI AMICOS, SACERDOTES admodum reuerendos, nobilissimum vrbis SENATVM, lycei PATRONVM, & reliquos omnes
MAE.

MAECENATES, FAVTORES & PATRONOS Musarum clarissimos, amplissimos, spectatissimos, nobilissimos, honoratissimos omnes: ac submisse, obseruanter officioseque rogamus, vt cras, post

HORAM POMERIDIANAM I. in auditorio consueto frequentes compareant, ac pubem scholasticam, praesentia sua splendida, ad laudabiles conatus beneuole incitent, & litteris placidae humanitatis dulcissimis, easque fideliter docentibus & cupide colentibus, benigne fauere pergant. Scribebam Schleizae XII. Cal. Februarii MDCXXXIX.



Ant. Rom. 456 m
~~587.~~

